

pisset pignus huiusmodi cabellarum et quantitas quam dictus Princeps predicto modo lucrifacere debet diminuatur pro quantitate que tunc ad solvendum sibi restaret pro rata et proporcionaliter contingente. Et ut de valore huiusmodi cabellarum utriusque parti sibi cautius quolibet annorum illorum quibus dictum pignus duraverit unus statuatur per eundem dominum Regem et alias per ipsum Principem qui cabellas ipsas vendant et augmentare procurent quam melius fieri poterit et si quando vendi non possent concedant eas fidelibus viris in credencia procurandas et in fine anni cuiuslibet fiat computus inter eos et si inventum fuerit cabellas ipsas valuisse illo anno dicta quinque milia unciarum vel illam summam infra ipsa quinque milia unciarum pro qua ut dictum est cabelle ipse in pignus tradite fuerint bene quidem si minus valuerint idem dominus Rex illud minus supplere dicto Principi de alia sua fiscali peccunia teneatur. Si vero plus valuerint illud plus eidem Principi computetur in sorte debiti memorati. Et quia premissa inter eosdem dominum Regem et Principem tanquam inter fratres et tanquam inter dominum et vassallum cum idem Princeps dicta Regnum Albanie et Principatum Achiae ab eodem domino Rege in feudum teneat bona fide acta sunt conventa et firmata. Si quis defectus de [vi]gore vel in solennitate juris in presenti scriptura inveniri posset vel obici contractus tamen presens... eius debita execucio secundum sanum et rationabilem intellectum et bona fide servari et compleri debeat inter eos. Quia omnes deffectus huiusmodi qui in hoc inpingi possent vel obici per quos ledetur substancia veritatis ex nunc dictus dominus Rex removit substulit et supplevit ex certa sua scientia suaque auctoritate ac potestate regali. Et nichilominus conventum est et promissum utrinque quod quecumque dicte partes vel earum altera vellent aut vellet pleniora de presenti contractu fieri instrumenta fieri possint et debeant de sapientum consilio veritatis substancia non